

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0579

0577

0583

0573

6

quiete in cultu Cereris, Bacchi et Veneris. Sed considerabant,
vacuum esse inertiam sectari, et vitiosum, supradictis animum
appicare. Idcirco rationem consulentes ardentis desiderio ad
militaris dignitatis fastigia se extenderunt, non cujuscumque
militiae, sed nobilioris et excellentioris, quae in hoc mundo
acquiri potest. Et haec est militia sanctissimi dominici se-
pulchri, omnium militiarum optima et nobilissima. Et hoc
potest multis rationibus [demonstrari] quae jam statim sub-
jiciuntur.

Primo, quia militia illa est divinior, utpote in actu vir-
tutis latriae accepta: accipitur enim genibus flexis in actu
venerationis sancti sepulchri, nec invenitur nobilis aliquis,
qui dicat, se propter militiam principaliter in Jerusalem ve-
nire, sed principaliter propter venerationem locorum redem-
tionis nostrae, qui actus ad latrām, divinam virtutem, pertinet.
Dicunt enim, et frequenter a militibus audivi, quod si loca
sancta in Jerusalem non essent, numquam, etiam si mille
militias accipere ibi possent, mare transirent; sed loca sancta
illos movent, ideo divinior est haec militia, quam aliae.

II. Haec militia est sanctior, quia in sanctiori loco totius
mundi confertur, hoc in loco resurrectionis Domini Iesu
Christi.

III. Militia haec est spiritualior, quia non confertur nisi
contritis et confessis et eucharistiae sacramento munitis in
loco spirituali a persona (185 A) spirituali et a Fratre humili.

IV. Est virtuosior, quia militia haec non est admixta
vitiis. Aliae enim militiae habent aemulationem, iram, invi-
diā, superbiam et plura alia vitia annexa; haec autem quan-
tum est in se, tota est virtuosa.

V. Haec militia est decentior. Valde quippe bene decet,
ut Christianus, miles esse volens, in illo campo militiam
accipiat, in quo rex suus contra potentissimum praevaluit.
Dico autem regem nostrum Christum, et campum Golgatha
locum, in quo diabolum prostravit.

VI. Militia haec sancti sepulchri purior est et mundior,
et innocentior, nullo enim humano sanguine inquinatur sicut
aliae, quae ut communiter sunt immundissimae, quia dantur,
quando grandis instat sanguinis effusio humani. Et quod his

0588

0568

0628

0528

0678

0478

1078

0078

Ende

Anfang

